1198 sue subicit dicioni, sed Renus eos disterminat. Inicia malorum hec, nec potest verbis exprimi, quanta ex hoc mala f. o.
evenerint ecclesię Dei et omnibus religiosis domibus in imperio constitutis. Nam quotquot ecclesię habebant possessiones in alterius dicione, toto tempore discidii census earum non ęcclesiasticis personis ad utilitatem, sed diripientibus cedebat ad rapinam. Scio ęcclesiam quandam in parte Ottonis habentem vineta et lata predia in parte Philippi, quam hac occasione constat dampnificatam plus quam ad III (milia) marcarum, quod ideo insero, ut ex unius ecclesię dampno pensentur aliquo modo cunctarum ecclesiarum dispendia.[1] Sic mortuo imperatore mortua est simul iusticia et pax imperii, cuius mortem secuta
Jan. 8 est in brevi mors Celestini pape, cui successit in Romana sede domnus Innocentius, vir sicut iuvenis et in utroque iure doctissimus ita et immobiliter tenax sui propositi, qui ad cumulum tanti mali offensus Philippo nescimus quibus de causis partem tuebatur Ottonis in tantum, ut archiepiscopos, episcopos sibi faventes foveret et contradicentes deprimeret, quorum plures corruisse ab honore suo et inter duos reges tamquam inter duas sedes medio cecidisse recordamur. Pars tamen Philippi adversante licet papa semper melior erat tum in numero et valore provinciarum, tum etiam in robore militum, quorum fultus auxilio sepius transivit Renum, penetravit regnum Ottonis, Coloniam obsedit,[2] Nusiam cepit, castrum

1) v. Winkelmann Jb. Philipps 468.

2) Ob hier die erste (Winkelmann 139) oder die zweite Belagerung Kölns[x] (ebd. 371), bei der auch Neuß genommen wurde (Okt. 1205), ist unklar.

x gemeint ist